

Periodus N.  
T. II. art. III.

ant, & Scholas non tantum sed & Gymnasium Amstelodami institutum habeant.

Arminianismi  
propagatio &  
depravatio.

Et hæc quidem facies est Arminianorum stricte ita dictorum: Accesserunt mox ab aliis incrustati errores, è schola cū primis Sociniana prognati mutuatique. Arminianismū enim tum ante tum maxime post habitam Synodum Dordracenam magno zelo propagarunt *Conr. Vorstius* designatus quidem, ut suprà dictum, Professor Leidensis sed *Jacobi I.* Regis Angliæ interventu, Cathedræ nunquā admotus, mortuus A. 1622. *Simon* quoque *Episcopius* Theologus Leidensis, A. 1643. sublatus; & hujus denique successor *Stephanus Curcellæus*, A. 1659 extinctus; quos Sociniani suis adscribere non verentur, Theologique nostri Socinianismi convictos dudum dederunt. Hi sunt, qui plures controversias Socinianas suas fecerunt, inque Arminianorum scholam introduxerunt, quales sunt: de *Religione naturali; Deo; S. Trinitate; Dei Decretis; Dei Providentia; Peccato Originali; Christi Mediatoris Persona & Officio; Justificatione;* aliisque Capitibus. Et quanquam hodie in Socinianismo seu directè seu indirectè asserendo modus fere nullus sit; attamen impios illos errores modestioribus inter illos, qui cum Socinianis nihil rei habere se fidem faciunt, impingere nequaquam volumus; quemadmodū ab iis alienus esse nuper voluit *Celebris apud Remonstrantes Professor, Philippus à Limburch.*